

PONTIFICIA COMMISSIONE
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. II - N. 2

1970

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

VIA DELL'ERBA, 1 - 00193 ROMA

NUM. 2

DECEMBRI 1970

Litterae Card. a Secretis Status	133	<i>Pont. Commissione Decr. Conc. Vat. II interpretandis</i>
EX ACTIS PAULI VI		
Litterae apostolicae. <i>Ingravescentem aetatem</i> .	135	Responsa ad proposita dubia 164
Allocutiones:		
I. De opera Pont. Comm. C.I.C. recognoscendo	138	Responsum ad propositum dubium 165
II. Ad Ass. Nat. Gallicam cultorum iuris	139	
III. De reformatione interiore promovenda pro recognoscenda lege canonica	142	
IV. De ordine morali christiano	145	
EX ACTIS SANCTAE SEDIS		
<i>S. Congr. pro Cultu divino</i>		
I. Instructio: de S. Communione sub utraque specie	149	Coetuum studiorum labores 167
II. Decretum: Nova editio Missalis Romani	152	Opera Consultorum 168
III. Instructio: de calendariis particularibus	153	I. De Institutis perfectionis 168
<i>S. Congr. pro Causis Sanctorum</i>		
Decretum: Novae de actorum scriptione normae	156	II. De iure processuali recognoscendo 181
<i>S. Congr. pro Clericis</i>		
Decretum: de Missis pro populo	157	III. De procedura administrativa 191
<i>S. Congr. pro Rel. et Inst. saecularibus</i>		
I. Declaratio: de clausura	157	IV. De iure poenali recognoscendo (ad-dendum) 194
II. Decretum: nonnullae facultates conceduntur	158	
<i>S. Congr. de Institutione Catholica</i>		
Ratio fundamentalis inst. sacerdotalis	160	
DOCUMENTA		
I. De potestate decisionis auctoritatum supra-dioecesanarum in Ecclesia (W. Onclin)	196	
II. Relationes de schemate Legis Ecclesiae fundamentalis	213	
NOTITIAE 216		
INDICES		
Indices anni 1969		
I. Index rerum chronologico ordine digestus	217	
II. Index nominum personarum	221	
Indices anni 1970		
I. Index rerum chronologico ordine digestus	224	
II. Index nominum personarum	230	

APRILIS

Coetus « De processibus » (*diebus* 19-24)

Coetus « De personis physicis et moralibus » (*diebus* 26-30)

MAIUS

Coetus « De Sacramentis » (*diebus* 3-7)

Coetus « De Institutis perfectionis » (*diebus* 3-8)

Coetus « De matrimonio » (*diebus* 24-29)

OPERA CONSULTORUM
IN APPARANDIS CANONUM SCHEMATIBUS

Uti iam in praecedenti numero huius anni * explicatum est, exponitur hic summis lineis opera praestita a Consultoribus pro apparandis schematibus canonum: quae schemata adhuc recognoscenda et perficienda erunt cum Em.mi Patres Commissionis et Episcopi consulti fuerint.

In hoc fasciculo de tribus schematibus sermo erit: 1. De Institutis perfectionis; 2. De iure processuali recognoscendo; 3. De procedura administrativa.

I


DE INSTITUTIS PERFECTIONIS

I. DIFFICULTAS RECOGNOSCENDI LEGISLATIONEM « DE RELIGIOSIS »

1. Recognitio illius partis Libri II Codicis Iuris Canonici quae praescripta legum continet religiosos respicientia non parvam praesefert difficultatem. Instituta et personae pro quibus huiusmodi legislatio adaptanda est inveniuntur in conditione omnino speciali. Quamvis status religiosus ad vitam et sanctitatem Ecclesiae « inconcusse » pertineat, tamen ad eius hierarchicam structuram non pertinet et non est status intermedius inter clericalem et laicalem conditionem¹. Sed religiosi per se neque clerci neque laici dici possunt. Instituta religiosa oriuntur ex

* Cfr. *Communicationes*, 1, 1970, p. 81.

¹ Cfr. Const. dogm. *Lumen Gentium*, Cap. VI, n. 43, 44.



motione charismatica quam Spiritus Sanctus in sanctos Fundatores infundit et tamen talia non sunt antequam ab Auctoritate Ecclesiae eriguntur. Membra horum institutorum indigent vocatione divina ut per proxim consiliorum evangelicorum servitio Dei totaliter mancipentur et mundo renuntient et tamen missione salvifica Ecclesiae intime connectuntur.

Praeterea, sub generali nomine religiosorum tot formae diversae inveniuntur vitae Deo consecratae « ut Ecclesia non solum ad omne opus bonum instructa et ad opus ministerii in aedificationem Corporis Christi parata sit, sed etiam variis donis filiorum suorum decorata apparet sicut sponsa ornata viro suo »². Insuper in documentis conciliaribus notio « religiosi » et « status religiosi » aliquantulum immutata apparet. Nam christifidelis non solum Deo totaliter consecratur per vota publica quae emittuntur in instituto in quo viget vita communis, sicut antea praescriptum erat³, sed etiam per « alia sacra ligamina, votis propria sua ratione assimilata »⁴. Etiam disciplina religiosa quae in Codice Iuris Canonici ordinata apparet profundam mutationem requirit ut adaptata fiat novis conditionibus quae hodie in Ecclesia obtinent. Aliae apparent necessitates ab eis valde diversae quae habebantur tempore codificationis et promulgationis Codicis Iuris Canonici.

2. Coetus Studiorum cui opus arduum recognitionis huius partis iuris concreditum fuit, quique initio « Coetus de Religiosis » vocabatur, statim sensit difficultatem accuratam recognitionem perficiendi. Quapropter, in luce eorum quae a Patribus Concilii, diversis in documentis, scripta fuerunt, Consultores Coetus decisionem tulerunt profunde investigandi naturam status religiosi et ambitum eorum qui sub nomine religiosorum venire possunt. Duae plenae sessiones Coetus Studiorum necessariae fuerunt ad definitionem descriptivam status religiosi formulandam in qua tam elementa theologica quam iuridica includerentur. Occasione huius studii seu examinis plures difficiles quaestiones discussioni subiectae fuerunt, uti sunt quaestio de monachis, illa de Institutis saecularibus, de distinctione inter vota sollemnia et vota simplicia, de exemptione religiosorum, etc. Duae primae sessiones habitae diebus 21-26 mensis novembris 1966 et 8-12 mensis maii 1967 momentum non leve habent quia nobis dederunt plures definitiones vel descriptions claras et praecisas vocabulorum quae frequentissime occurrunt in hac

² Decr. *Perfectae Caritatis* n. 1.

³ Cfr. can. 487.

⁴ Const. dogm. *Lumen Gentium*, Cap. VI, 44.

parte iuris. Ita praeter descriptionem status religiosi, elaboratius datae sunt notiones « monachi », « eremita seu anachoretae », « vota religiosa », « institutum religiosum, clericale vel non-clericale » « iuris pontificii vel iuris dioecesani », « provincia vel domus religiosa », etc. Cum nomen Coetus « De religiosis » mutatum est in illud « De Institutis Perfectionis » post quartam sessionem, canones in his quatuor adunationibus redacti sunt iterum examini subiiciendi ut ad novum aspectum adaptentur et ubi necessarium compleantur.

II. PRINCIPIA QUAE IURIS RELIGIOSORUM RECOGNITIONEM DIRIGANT

3. Infrascripto Relatori, qui in tertia sessione Coetus munus Relatoris suscepit, Cardinalis Praeses, litteris diei 13 decembris 1967, comisit ut in tertia sessione Coetus schema canonum pararet circa ea quae pluribus Religionibus sunt communia, uti sunt: erectio, immutatio, suppressio religionis, provinciae, domus; de regimine, de bonorum administratione atque de regimine religionum. Cum autem in hac tertia sessione, quae locum habuit diebus 22-26 mensis ianuarii 1968, Coetus initium daret recognitioni iuris disciplinaris generalis religiosorum, necessarium visum est perpendere quaenam deberent esse principia directiva recognitionis huius iuris, quod indolem aliquantulum speciale habet, attentis praesertim iis quae in Decreto *Perfectae Caritatis*, in Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae* et in « Principiis quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant », a nostra Commissione editis⁵, continentur. Quapropter, quatuor principia directiva quae parata sunt quae a Coetu Studiorum ad trutinam fuerunt revocata et post discussionem approbata. En principia:

I. In recognitione iuris religiosorum, canones ita redigantur ut appareat normas iuridicas, etsi thesauros gratiae vitae religiosae nec plene contineant nec multo minus exhaustant, fovere tamen donum Dei vocacionis religiosae, adiuvare gratiae opus in animabus Deo dicatis ut ad perfectionem caritatis pertingant easque custodire a periculis. « Cum vita religiosa ante omnia ad hoc ordinetur ut sodales Christum sequantur et Deo uniantur ... serio perpendendum est optimas accomodationes (legum ac statutorum) ... effectum non sortiri, nisi animentur renovatione spirituali, ... cui semper primae partes tribuendae sunt »⁶. (Decr. *Perfectae Caritatis*, n. 2, e).

⁵ Cfr. *Communicationes*, 1, 1969, p. 77 s.

⁶ Decr. *Perfectae Caritatis*, 2, e.

Per hoc principium directivum Coetus vitare satagit ex una parte nimiam normarum copiam quae iuri particulari essent relinquendae et ex alia ideam, aliquantulum diffusam, etiam inter personas consecratas, iuxta quam sufficeret ad perfectionem formalis et externa observantia normarum tam iuris communis quam iuris particularis. Ad hunc scopum attingendum Coetus dupli via procedit. Non raro in canonibus quaedam elementa theologica vel ex S. Scriptura permiscentur cum elementis iuridicis, dummodo tamen claritati et praecisioni normae nocumentum non fiat. Aliquando tamen normis stricte iuridicis adiunguntur quidam canones qui indolem pastoralem manifestant et potius hortatorii sunt.

II. Canones qui disciplinam religiosam statuunt fovere debent agnitionem in quolibet instituto spiritus Fundatoris eiusque conservationem; familias religiosas adiuvare ad proprium patrimonium servandum, quod in propria ac peculiari indole, in propriis propositis et in sanis traditionibus consistit. Itaque, ius commune sancire debet dumtaxat principia generaliora quae omnibus institutis faciliter applicari possunt quaeque congruam libertatem eis relinquant ut ad finem suum tendere possint.

Hoc principio remedium affertur contra periculum legislationis communis quae ad minutis determinationes descendit quaeque non solum erit difficilis applicationis sed etiam producere potest nocivam inter instituta et sodales sic dictam « livellationem » cum detimento spiritus proprii institutorum et patrimonii eorum. Super hoc non parvam insistentiam fecerunt Patres Concilii in Decreto *Perfectae Caritatis*⁷ et Summus Pontifex in Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, quo etiam amplam dedit libertatem institutis religiosis mutandi experimentaque faciendi per proprium Capitulum Generale in recognitione eorum iuris particularis⁸. Hoc factum est ut remedium afferatur defectui legislationis Codicis vigentis religiosos respicientis. Legislatio haec appareat nimis particularis et pluries ad minutis determinationes descendit quae in iure communi apparere non debent. Forsitan historia iuris religiosorum id iustificare poterat.

III. Dum principia constitutiva vitae religiosae clare indicari et firmiter sanciri debent, in normis disciplinaribus statuendis congrua flexibilitas in tuto ponatur, ut eae normae faciliter aptari possint diversis conditionibus et exigentiis Ecclesiae et ipsorum institutorum.

⁷ Cfr. Decr. *Perfectae Caritatis*, 2, 3.

⁸ Cfr. A.A.S., 58 (1966) pp. 775-782.

Principia constitutiva vitae religiosae seu vitae Deo consecratae eadem sunt pro omnibus qui Christum sequi volunt in via consiliorum evangelicorum et ideo oportet ut in iure communi absque ulla titubatione statuantur. Quoad normas vero disciplinares principium subsidarietas applicandum videtur forsan magis quam in aliis partibus iuris canonici. Applicatio huius principii in legislatione ecclesiastica probata fuit a Synodo Episcoporum in « Principiis quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant »⁹. Maxima varietas institutorum perfectionis cum eorum scopo, indole, structura admodum diversa et rapida mutatio conditionum socialium in quibus sodales vivunt et activitatem perficere debent magnam elasticitatem exigunt in normis iuris communis. Secus erit impossibile has normas omnibus institutis et sodalibus applicare. Principium hoc a Coetu applicatur modo extensivo normas omnino generales formulando ad normam principii secundi et relinquendo applicationem magis determinatam iuri particulari, quod, ut iam supra dictum est maximum habebit momentum in iure recognito.

IV. Canones, quibus regimen et regiminis exercitium in religiosis institutis ordinantur, ita redigantur ut principia a Concilio statuta de repraesentatione et cooperatione sodalium efficaciter ad proxim deducantur. Indole et spiritu cuiusque instituti servata, regimen ita ordinetur ut potestas per nimium tempus apud easdem personas ne maneat. « Capitula et consilia munus sibi commissum in regimine ex plendo atque suo quaeque modo sodalium omnium pro bono totius communitatis participationem et curam exprimant »¹⁰. Superiores eo sodales perducant ut in muneribus obeundis et in inceptis suscipiendis activa atque responsabilis oboedientia cooperentur necnon conspirationem ad bonum instituti et Ecclesiae promoveant.

Principium hoc directivum non indiget explicatione pro iis qui relationes quasdam habent cum institutis religiosis, potissimum femina rum. Instituta religiosa vel instituta perfectionis in genere sunt imprimis communitates ac proinde modo communitario non tantum vivere sed etiam agere debent, utique attenta indole, spiritu et fine cuiusque instituti. Statuta igitur horum institutorum ita recognosci debent ut tota communitas, uno ex modis in iure sancitis, participet et in regimine et in decisionibus maioris momenti illius. Et de hoc cavere debet etiam ius commune adabus praecavendos et tollendos. Amplam libertatem insti-

⁹ Cfr. *Communicationes*, 1, 1969, p. 80.

¹⁰ Decr. *Perfectae Caritatis*, 14.

tutis relinquendo quoad methodum et modum repraesentationis et participationis, Coetus conatus est normas iuris communis ita formulare ut foveatur huiusmodi motus ad maiorem participationem in regimine et in decisionibus.

III. SCHEMA GENERALE IURIS RECOGNOSCENDI « DE INSTITUTIS PERFECTIONIS »

4. Notandum est imprimis Coetum Studiorum qui ab initio suae compositionis vocabatur « De Religiosis », post quartum conventum diebus 22-26 mensis aprilis 1968 habitum, nomen mutatum habuisse in Coetum Studiorum « De Institutis Perfectionis », attentis deliberationibus Coetus Studiorum « De Ordinatione systematica Novi Codicis »¹¹. Ad hanc mutationem intelligendam recolendum est quod iam supra dictum est circa ampliationem nominis « religiosi » in Constitutione dogmatica *Lumen Gentium*. Evidenter in capite VI huius Constitutionis Patres Concilii sub nomine « religiosi » intelligunt omnes qui donum divinum receperunt vivendi in statu quodam publico ab Ecclesia formaliter constituto in quo consilia evangelica profitentur. Secus non potuissent dicere: « Per vota aut alia sacra ligamina, votis propria sua ratione assimilata quibus christifidelis ad tria praedicta consilia evangelica se obligat, Deo summe dilecto totaliter mancipatur, ita ut ipse ad Dei servitium Eiusque honorem novo et peculiari titulo referatur ».¹² Omnes, qui charisma vocationis habent ad viam consiliorum sequendam, religiosi vocari possunt, in quantum Deo totaliter mancipantur modo publico in quodam instituto ab Ecclesia recognito et independenter a forma quo consilia evangelica observantur, sive voto firmata sive alio sacro vinculo. In eodem sensu loquuntur Patres Concilii in Decreto *Christus Dominus*, ubi dicunt: « Omnibus Religiosis, quibus in iis quae sequuntur sodales accensentur ceterorum Institutorum consilia evangelica profitentes, iuxta propriam cuiusque vocationem ... »¹³. In Decreto vero *Perfectae Caritatis* distinctio sat clara fit inter Religiones seu Instituta religiosa, Societates vitae communis sine votis et Instituta saecularia et eorum respectivos sodales¹⁴. Immo,

¹¹ Cfr. *Communicationes*, 1, 1969, p. 110.

¹² Const. dogm. *Lumen Gentium*, Cap. VI, 44.

¹³ Decr. *Christus Dominus*, n. 33, 4.

¹⁴ Cfr. Decr. *Perfectae Caritatis*, 1 in fine.

de Institutis saecularibus expresse dicitur ea non esse Instituta religiosa, « quamvis veram et completam consiliorum evangelicorum professionem in saeculo ab Ecclesia recognitam secumferant »¹⁵. Quapropter, ad omnem possibilem aequivocationem tollendam, recte titulus generalis « De Religiosis », quo Coetus noster cognoscebatur et tota haec pars iuris veniebat, in illum mutatus fuit: « De Institutis Perfectionis » ad includenda omnia illa instituta quae una vel alia forma ab Ecclesia approbata consilia evangelica publice profitentur sive per vota sive per alia sacra ligamina. Haec generalis categoria bene delimitata et definita esse debet quia normae generales, quae in hac parte Codicis dantur, eis tantum applicari debent. Hoc tamen minime significat omnes associationes quae aliqualem similitudinem cum Institutis Perfectionis habent sub hac categoria necessario venire. Si enim ex professo consilia evangelica publice non profitentur vel nolunt profiteri instituta perfectionis vocari non possunt. Possunt quidem esse Associationes aliis generis in Ecclesia — et ius associationis in iure recognito abs dubio non parum extendetur — sed non Instituta perfectionis.

5. Initio laborum huius Coetus Studiorum, conspectus quidam generalis dispositionis materiae paratus fuit, qui satis esset videbatur pro laborum directione primis post constitutionem Coetus temporibus. Progrediente vero tempore et mutato titulo Coetus, divisio generalis quam conspectus ille praeseferebat amplius adaptatum non apparebat ad Coetum in propriis laboribus dirigendum. Ideae magis clarae requirebantur quoad divisionem generalem totius tractationis ad vitanda dubia, inutiles discussiones et repetitiones. Absque maiore claritate formulatio canonum difficilis fiebat, praesertim ubi agebatur de materia in qua legislatio vigens deficiens aestimabatur. Mutatio etiam tituli Coetus necessariam fecit mutationem terminologiae quae usque adhuc erat illa Codicis, quaeque difficulter adaptari poterat ad novum tituli ambitum. Ideo in sexta sessione huius Coetus Relator novum schema generale totius materiae tractandae Consultoribus praesentavit quod, dum memoratos defectus vitare videbatur, magis adaptatum credebatur ad futuros labores Coetus dirigendos. Schema, praesertim in sua parte generali, examini Consultorum initio sextae sessionis Coetus subiectum fuit et quoad plura correctum et tandem tamquam Schema Generale modo provisorio approbatum fuit in sequenti forma:

¹⁵ Decr. *Perfectae Caritatis*, 11.

SCHEMA GENERALE IURIS RECOGNOSCENDI:
« DE INSTITUTIS PERFECTIONIS »

Canones praeliminares.

PARS GENERALIS

DE IIS QUAE INSTITUTIS PERFECTIONIS SUNT COMMUNIA

- Titulus I:* De erectione, fusione, suppressione Institutorum, provincialium, domorum.
Titulus II: De dependentia Institutorum ab Ecclesiastica Auctoritate.
Titulus III: De Institutorum regimine.
Titulus IV: De bonis temporalibus Institutorum eorumque administratione (remissive).
Titulus V: De admissione in Institutum.
 Art. 1: De requisitis ad candidatos recipiendos.
 Art. 2: De receptorum institutione.
 Art. 3: De cooptatione in Institutum.
 Art. 4: De cooptatorum institutione.
Titulus VI: De obligationibus Institutorum eorumque sodalium.
Titulus VII: De separatione ab Instituto.
 Art. 1: De transitu ad aliud Institutum.
 Art. 2: De egressu ab Instituto.
 Art. 3: De dimissione ab Instituto.
 Art. 4: De conditione iuridica separatorum ab Instituto.

PARS SPECIALIS

DE IIS QUAE NONNULLIS INSTITUTIS PERFECTIONIS SUNT PROPRIA

Canones praeliminares.

Sectio Prima:

- De Institutis monasticis.
Titulus I: De monachis.
Titulus II: De monialibus.
Titulus III: De clausura monialium.

Sectio Secunda:

De Institutis religiosis operibus apostolatus deditis.

Titulus I: De Institutis religiosis clericalibus.

Titulus II: De Institutis religiosis laicalibus.

Sectio Tertia:

De Societatibus vitae communis.

Sectio Quarta:

De Institutis saecularibus.

Sectio Quinta:

De Institutis exemptis.

6. Schema hoc generale differt a systemate a Codice Iuris Canonici adoptato in eo quod Codex agit modo exclusivo de Institutis religiosis et postea pro Societatibus sive virorum sive mulierum partim applicat praescripta pro religiosis statuta (cfr. cann. 673-681), dum schema hoc in parte sua generali applicari potest omnibus Institutis perfectionis, non solum nunc in Ecclesia extantibus sed etiam iis quae forsan in futuro in Ecclesia oriri possunt. Quae dicta sunt valent tantum pro parte generali schematis quae eodem modo applicari potest omnibus institutis. Haec prima pars continebit praescripta generaliora et revera flexibilia disciplinae institutorum perfectionis ad hoc ut normae datae adaptari possint tam institutis perfectionis quam eorum sodalibus.

Pars vero specialis schematis, quae, uti ex titulo patet, continere debet praescripta iuris adaptata exigentiis et indoli ac scopo peculiari quarumdam supremarum categoriarum seu specierum in quas genus institutorum perfectionis in Ecclesia nunc dividitur, modo omnino provisorio delineata propter speciales difficultates quas praesefert. Nam in sessionibus habitis, Coetus Studiorum debuit suam attentionem dirigere fere exclusive parti generali schematis, quae, uti in votis est, intra breve tempus iam parata erit, quod attinet ad laborem ipsius Coetus Studiorum.

7. Praeter principia directiva supra exposita, aliud adiungi potest quod constanter in mente Consultorum fuit: illud nempe vitandi quamlibet discriminationem in statuendis normis inter instituta perfectionis viorum et mulierum. Non absque fundamento plures Congregationes femininae lamentatae sunt quoad modum sese gerendi Codicis vigentis in hac parte. In Codice quidem sodales institutorum mulierum ita considerari videntur ac si tutore quodam egeant in fere qualibet manifestatione vitae earum et activitatis. Tempore codificationis huiusmodi agendi modus quasdam iustificationes invenire posset; nostris tamen tem-

poribus impossibile videtur normas discriminatorias hoc in campo formulare.

8. In universa legislatione proposita pro institutis perfectionis quoad partem omnibus communem seu in prima parte schematis specialis cura adhibita fuit ut in iusta applicatione ponatur principium subsidarietatis. Exceptis iis quae ad ipsam naturam status perfectionis per professionem consiliorum evangelicorum quaeque, ut par est, eadem pro omnibus debent esse, et quibusdam praestantissimis praescriptis disciplinaribus, canones formulati amplam libertatem institutis relinquunt ut aptiorem adaptationem disciplinae facere possint, attentis exigentiis et necessitatibus tam internis ipsorum institutorum quam externis ex adjunctis loci et temporis provenientibus. Coetus Consulitoribus visum est aliam methodum se adhibere non posse vel debere, si in tuto poni deberent quae a Patribus Concilii imposita vel commendata fuerunt. « Accomodata renovatio vitae religiosae — dicunt Patres Concilii Vaticani II — simul complectitur et continuum redditum ad omnis vitae christianaे fontes primigeniamque institutorum inspirationem et aptationem ipsorum ad mutatas temporum condiciones ... In ipsum Ecclesiae bonum cedit ut instituta peculiarem suam indolem et munus habeant. Ideo fideliter agnoscantur et serventur Fundatorum spiritus propriaque proposita, necnon sanae traditiones, quae omnia cuiusque instituti patrimonium constituunt »¹⁶. Hoc tamen non obstante, iidem Patres statuunt in n. 3 eiusdem Decreti: « Ratio vivendi, orandi et operandi hodiernis sodalium conditionibus physicis et psychicis, necnon, prout ab indole cuiusque instituti requiritur, apostolatus necessitatibus, culturae exigentiis, circumstantiis socialibus et oeconomicis, ubique, praesertim in missionum locis, apte convenienter. Secundum eadem criteria examini quoque subiicitur regiminis ratio institutorum »¹⁷.

Patres Concilii haec verba dirigunt imprimis sodalibus et Institutis perfectionis. Sunt sodales et instituta quae huiusmodi renovationem, redditum ad primigeniam inspirationem instituti, agnitus spiritus Fundatoris et conservatio proprii propositi atque aptatio rationis vivendi, orandi et operandi ad hodiernas necessitates facere debent quia nullus aliis hoc apte perficere potest. Legislator autem in iure communi normas ita formulare debet ut huiusmodi renovatio, aptatio, etc. non tantum non impedianter sed totius viribus foveantur. Debet quoque ius

¹⁶ Decr. *Perfectae Caritatis*, 2.

¹⁷ Decr. *Perfectae Caritatis*, 3.

commune normas cautelativas statuere quae errores et abusus impeditant et corrigant.

In iure igitur recognito magna debet regnare concordia inter ius commune et ius particulare. Illud plus quam sit stricte necessarium imponere non debet ut debitam libertatem institutis relinquat aptas determinationes faciendi iuxta praedicta et hoc limites ab illo impositas praetergredere non potest et lineas generaliter indicatas fideliter servare et applicare debet.

9. Canones praeliminares ad universam tractationem de institutis perfectionis continent notiones necessarias circa eadem instituta et eorum divisiones ab Ecclesia statutas vel approbatas. Canones tamen isti, iuxta placita omnium Consultorum Coetus, non sunt mere iuridici sed includunt principia theologica circa vitam Deo consecratam per professionem consiliorum evangelicorum ut in luce ponantur natura charismatica huius vitae, necessitas divinae vocationis et intimae relationes inter vitam consecratam et Ecclesiam eiusque salvificam missionem.

10. Titulus I partis generalis plus minusve ordinem Tituli IX Libri II Codicis Iuris Canonici sequitur. Plures tamen propositae sunt innovationes tam pro erectione instituti quam pro eius in partes divisione. Hae innovationes factae sunt attentis novis institutionibus quae in Ecclesia recenter apparuerunt, uti Episcoporum Conferentiae, et etiam principio subsidiarrietatis et sanae decentralizationis. Iura et necessitates Ordinarii loci et Ecclesiae localis in tuto etiam posita sunt tam in erectione domus vel communitatis quam in earum suppressione. Tandem introductum est praescriptum iuris quoad fusionem institutorum ad uniones efficiendas — si et quatenus erit necessarium — de quibus loquuntur Patres Conciliares in Decreto *Perfectae Caritatis* nn. 21, 22.

11. In Titulo II partis generalis, cuius rubrica est: « De dependentia Institutorum ab Ecclesiastica Auctoritate », agitur de difficulti et delicato problemate. Principium statutum est institutum perfectioonis quodlibet, independenter ab eius actuali iuridica conditione, constitutum esse in Ecclesia ad bonum universum istius ac proinde peculiari ratione Supremae Ecclesiae Auctoritati subdi. Singuli autem sodales etiam ratione voti vel ligaminis assumpti eidem Auctoritati parere tenentur.

Consultores huius Coetus noluerunt definire relationes inter Ordinarium loci et instituta perfectionis eorumque sodales innixi fundamento distinctionis inter instituta exempta et illa non exempta vel

inter sodales exemptos et illos non exemptos. Iuxta determinacionem Concilii Vaticani II exemptio est actio libera Supremi Pastoris in Ecclesia qui, intuitu utilitatis communis et particularis alicuius instituti, ab Ordinariorum locorum iurisdictione eximit unum vel plura vel omnia instituta perfectionis vel eorum sodales et sibi soli vel alii subiicit¹⁸. Exemptio igitur ab actione libera Summi Pontificis pendet, qui potest eam facere vel non. Visum est igitur Consultoribus, etiam propter incommoda quae ex systemate a vigenti Codice adoptato institutis ipsis venerunt, magis opportunum normas exemptionem, vel potius instituta exempta, respiciunt ad partem specialem schematis generalis transferre ubi effectus iuridici exemptionis in luce documentorum Concilii statui et enumerari possunt et institutis vel personis quae a Summo Pontifice revera exempta fuerunt applicare.

Magis utile Coetui apparuit in hac parte insistere ut in tuto ponatur interna cuiuslibet instituti perfectionis authonomia ad quam ius habet in quantum institutum est ens vel organismum ecclesiale legitime ortum per erectionem competentis auctoritatis ecclesiasticae. Sub hoc aspectu quodlibet institutum perfectionis ius habet ad vitam propriam agendam iuxta propria statuta et absque indebitas ab extra ingerentias, ad propriam activitatem peragendam et ad proprium incrementum. Hoc tamen non impedit quod institutum eiusque sodales subiecta sint non tantum Auctoritati Supremae seu centrali Ecclesiae sed etiam Ordinariis locorum ad normam iuris. Quapropter accurate determinata sunt iura Ordinarii loci erga instituta perfectionis, praesertim iuris dioecesani. Ius enim codiciale varias lacunas alicuius momenti hac in re praeseferebat.

Instituta iuris dioecesani, cum ordinarie sint adhuc in eorum phasi infantiae vel adolescentiae, peculiari curae et vigilantiae Ordinarii loci concredita sunt ut ipse adiuvare et fovere possit eorum progressum spirituale et materiale eorum incrementum et in mundo diffusionem.

12. Quoad regimen institutorum, de quo in Titulo III partis generalis schematis, iam plura supra dicta sunt. In normis statuendis inculcatum est ut superiores officium proprium acceptent et adimpleant in spiritu servitii erga communitatem et ut magis gubernent stimulando et promovendo actionem concordem inter sodales quam per impositionem praceptorum. Habent tamen auctoritatem sufficientem gubernandi, quam sapienter et prudenter exercere debent pro bono communi et indi-

¹⁸ Cfr. Const. dogm. *Lumen Gentium*, cap. VI, 45; Decr. *Christus Dominus*, 35, 3.

viduorum. Principium subsidiarietatis in hac parte extensa applicatum est ut subveniatur necessitatibus institutorum tam inter se diversorum. Consultores conati sunt introducere disciplinam omnino simpliciorum quoad Sacramentum Paenitentiae ea quae in Codice vigenti statuitur, praesertim quod spectat ad moniales et religiosas.

13. Pro momento normae circa bona temporalia eorumque administratione in Institutis perfectionis (Titulus IV primae partis schematis) formulatae non fuerunt. Expectandum enim erat responsum Coetus Studiorum qui normas praeparat quoad ius Ecclesiae patrimoniale ut videtur num pars de bonis temporalibus institutorum eorumque administratione illo in schemate includi deberet. Responsum est negativum ac proinde onus canones formandi ad nostrum Coetum revertitur.

14. In Titulo V schematis generalis praescripta ponuntur, quae maximi sunt momenti pro bono totius instituti perfectionis. Agitur enim de acceptatione candidatorum, de eorum institutione et de eorum incorporatione in Institutum. Cum in hac parte normae dari debebant omnibus Institutis applicabiles, faciliter intelligitur Coetum praescripta tantum generalia dedisse et plura reliquiss determinanda a iure particuliari. Consultores prae oculis habuerunt Instructionem S. Congregationis de Religiosis et Institutis Saecularibus *Renovationis causam*, diei 6 ianuarii 1969 promulgatam et plures facultates ibidem concessas in canonibus huius Tituli introduxerunt, Emphasis fit in accurate selectione et praeparatione candidatorum, in eorum maturitate physica et psychica, in institutione magistri qui omnibus qualitatibus requisitis pro difficulti officio praeditus sit. Legislatio circa incorporationem seu cooptationem in Institutum ita redacta est ut hodiernis conditionibus et necessitatibus respondere possit, attentis etiam concessionibus factis et experimentis permissis a legitima auctoritate. Sermo de postulatu in iure communi amplius non fit. Explicita mentio habetur necessitatis vocationis divinae quam candidati et superiores serio examinare debent ante cooptationem. Conditiones ad validitatem novitiatus et cooptationis numero reductae apparent, dum illae ad liceitatem abrogatae sunt, utpote inutiles vel fere tales. Effectus cooptationis non tantum iuridici sed etiam theologici melius indicantur et obligatio imponitur ut sodales post cooptationem propriam institutionem compleant et perficiant ad vitam Instituti propriam plenius ducendam et ad eius missionem aptius prosequendam.

15. Formulatio canonum Titulorum VI et VII iam est parata sed a Consultoribus Coetus adhuc non fuit approbata in forma definitiva.

Melius igitur erit si nihil de his canonibus anticipetur etiam modo generali.

Ceterum labores huius Coetus adhuc compleri debent quia plura adhuc manent elaboranda et quia pars iam apparata examinari adhuc debet ad aptam et uniformem terminologiam in toto schemate partis generalis adhibendam (P. Marcus Said, O.P., *Relator*).

